Cum Beatus Rhenanus M. Vellei Paterculi historiae Romanae libros duos e codice coenobii Murbacensis in lucem edere constituisset, codicem amico cuidam describendum typisque exprimendum tradidit. Is vero rem sibi mandatam tam negligenter gessit, ut Johannes Albertus Burerius, haud indoctus Rhenani amanuensis, eundem codicem denuo conferre et vitiose reddita ad calcem editionis, quae anno seculi sexti decimi vicesimo Basileae prodiit, adicere satius haberet. Nonnulla iam inter ipsum operarum laborem videntur correcta esse, unde duplicis editionis error natus est. Eodem fere tempore Vitus Amerbachius, Rhenani discipulus, prius amici istius exemplar denuo descripsit, quod postquam diu delituit, nostra aetate ab Orellio repertum publicique iuris factum est. Iam vero ipse codex qua aetate aut quibus literarum formis, nam merovingicis an longobardicis ambigitur*), exaratus fuerit, certo definiri nequit, cum temporum iniquitate ex oculis manibusque nostris dudum sublatus sit, nec magis multis locis decernas, utrum Rhenani aut Bureri coniecturam an genuinam codicis scripturam habeas. Itaque magna quondam fuit dissensio, uter liber primarius et tamquam fons esset habendus: hodie tantum non omnes consentiunt Rhenani librum sive editionem principem, quae volgo dicitur, superiore, Amerbachi inferiore esse loco**). Quae cum ita sint, propter multiplicem de qua supra dixi utriusque libri depravationem emendatio

*) v. M. Hauptius in Relat. soc. litt. Sax. a. 1849 I p. 190 sqq. et Haasi praef. p. V.

**) Uberius de tota hac re disputaverunt post Kritzium Laurentius in Annal. phil Lips. Suppl. VI p. 5 sqq. et Froehlichius ib. p. 512 sqq., Martinus: *Beitraege zur Kritik des Velleius Paterculus* Primislaviae 1862, omnium optime Fechterus: *Die Amerbachsche Abschrift des V. und über ihr Verhältniss zum Murbacher Codex und zur ed. princeps.* Bas. 1844.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad modum difficilis est atque incerta. Senserunt id viri illi doctissimi, qui adcurata linguae Latinae scientia et sobrio iudicio in restituenda pristina orationis integritate multum operae temporisque consumpserunt, Lipsium dico, Vossium, Ruhnkenium, Orellium, Kreyssigium*). Longe autem hos superaverunt duoviri praestantissimi, Frid. Kritzius et Frid. Haasius, quorum eximium ingeni acumen et magna exquisitae doctrinae copia aliquanto puriorem ac nitidiorem reddidit Velleium nostrum**). Atque iisdem virtutibus praeditos Bergkium, Halmium, Sauppium, Laurentium, Ieepium, M. Hauptium, Hertzium, alios in verbis tum interpretandis tum emendandis operam impendisse maxime laudabilem omnes norunt horum studiorum amici.

His instrumentis et auxiliis usus in examinandis nonnullis locis id potissimum egi, ut scripturam editionis principis, quae instar codicis est, non neglecto Amerbachi apographo, quantum fieri posset, ab emendandi impetu vindicarem, quae aperte vitiosa essent corrigendi periculum facerem. In qua re agenda Kritzi editionem apparatu critico ornatam fundamentum esse volui; quae cum omnium manibus versetur, in enumerandis virorum doctorum emendationibus summae brevitati studere mihi licuit.

I 3, 2. Velleius postquam se mirari dixit, eos, qui Iliaca tempora composuissent, de Myrmidonum regione ut Thessala locutos esse, poetas tragicos reprehensurus haec subicit: *quod cum alii faciant, tragici frequentissime faciunt, quibus minime id concedendum est, nihil enim ex persona poetae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt.* Haec quamvis ex parte aliter composita velles, ita tamen comparata sunt, ut sententiam praebeant satis aptam, modo prioribus verbis *quod cum alii faciant* concessionem contineri, quam quae sequuntur verba *minime id concedendum esse tragicis* postulant, reliqua autem ita inter se nexa statuas, ut vera haec sit totius loci sententia: licet alii poetae id faciant (id quod epicos fecisse constat), ut sua tempora ad antiquissima referant cum iisque confundant, cum omnia ex sua persona dicant, minime tamen tragi-

*) Eximendi sunt ex hoc numero Bothius et Schoepferus, quorum alter sana sanando corrupit, alter corruptissima tamquam sanissima explicare conatus est.

**) Prodiit Kritzi editio Lipsiae 1840 et sola mutata inscriptione ib. 1848, Haasi ibid 1851, aucta novis emendationibus 1863.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cis id concedendum est, nam hi cum illud facerent, nihil ex persona poetae, sed sub eorum personis dixerunt, qui illo ipso tempore, quo res actae sunt, vixerunt. His praemissis illud primum apparet, particula *tum*, quam alteri membro ante vocabulum *tragici*, ut responderet priori *cum*, adiecit Kritzius, opus non esse*), deinde extremum *dixerunt*, pro quo Haasius Huthii coniecturam *disserunt* probavit, aeque bene defendi posse, cum Velleius rationi et conditioni, qua tragicos sua dixisse dicit, causam simul adiciat, cur ipsis temporum commutatio concedenda non sit. Paulo concinnius oratio hoc modo conformari poterat: quibus minime id concedendum est, cum nihil dixerint cet. Certe coniunctivus *dixerint*, quem Kritzius ex Froehlichii coniectura praefert, ut vi imperativi positus legem tragicis observandam contineat, ferri nequit, nam fac unum Velleium a communi loquendi usu discessisse, quis credat eius modi normam sive legem, qualem ab artis poeticae magistris exspectes, proposuisse historicum? Ac ne quis moleste ferat eandem aut similem verborum iuxta positorum terminationem, comparet Liv. XXXIIII, 44, 4. Tac. ab exc. d. Aug. VI, 35. *ἀπέκτεινον, ἀπέθνησκον* Xenoph. Hist. Gr. IIII 3, 12. Plura collegit Wyttenbach. Bibl. crit. II 2. p. 65 sq.

I 10, 3 L. Aemilius Paulus filios *duos minores natu praetextatos quo tempore victoriam adeptus est habuit.* Artius iungas *praetextatos* cum verbo *habuit* tamquam praedicatum i. e. qui ea essent aetate, qua pueri ingenui praetexta induti in potestate patris domi retinebantur, si quidem tali modo veteres Romani aetatem puerorum distinguere solebant. Cf. Liv. XXXXII 34, 4. Quare neque voce *domi*, quam intrusit Ruhnkenius ante v. *habuit*, opus est neque ipsi verbo *habendi* ea vis cum Kritzio tribuenda, quam in praedicato inesse vidimus. Quid quod Livius in longiore eiusdem rei narratione lib. XXXXV 40, 7 postquam Paulum duobus filiis in adoptionem datis duos solos nominis, sacrorum familiaeque heredes retinuisse 'domi' scripsit, quae cur ita scribere debuerit haud obscurum est, paucis interiectis eosdem filios appellat 'praetextatos'. Nec proficit quidquam ad confirmandam illam Ruhnkenii coniecturam Plutarchi locus vitae Aem. P. c. 35 *οὓς ἐπὶ τῆς οἰκίας εἶχεν τῆς ἑαυτοῦ* i. e. domi habuit vel praetextatos, quod ipsum Graece aliter dici non poterat. Deinde quod eundem Paulum *ante triumphi diem* deos precatum esse tradit Velleius, ut,

*) Plura eademque luculentissima huius usus exempla dedit Haasius ed. alt. p. VII. Cf. Kruegeri Gr. lat. §. 625. adn. 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

si inviderent fortunae suae, in suam domum potius quam in rempublicam saevirent, idque ipsi maximo detrimento fuisse addit, nam alterum ex filiis ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisisse dies, nisi velis scriptorem uno tenore inepta dixisse, in confesso est verba *ante triumphi diem* ita necessario interpretanda esse, ut triumphi dies unam efficiat notionem: *vor dem Triumphtage* s. *vor dem Tage seines Triumphzuges*, minime vero, quod Jacobsio accidisse doleo, *am Tage vor dem Triumphe*. Ambiguitatem quandam videtur sensisse Amerbachius, qui quod primum exaraverat *ante triumphum triumphi diem*, inducto vocabulo *triumphum* postmodo retractavit. Sed illa leviora, hoc gravius, quod Velleius in istarum rerum expositione multum discrepat a ceteris scriptoribus. namque Livius l. c., cuius vestigia ad verbum paene pressit Plutarchus l. c., multo accuratius narrat, Paulum, quem ipsum loquentem inducit, precibus illis, quarum mentionem facit Velleius, deos obtestatum esse opibus regiis et victore exercitu in Italiam feliciter transportatis, tum paucis demum diebus post triumphum utroque filio iam defuncto de rebus suis gestis more ceterorum imperatorum data a Marco Antonio tr. pl. contione disseruisse. Cum Livio et Plutarcho fere consentiunt Appianus Maced. c. 17, Valerius Maximus V 10, 1, Seneca Cons. ad Marc. 13, Ampelius lib. mem. 18 p. 17, 13 Buechel., obiter tetigit Cicero Tusc. III 28, 70. Julius Paris epit. p. 268, 2 Halm. alterum filium ipso triumphi die mortuum esse refert. Velleium multo plura misere turbasse manifestum est.

I 15, 3 'Cassius censor a Lupercali in Palatium versus theatrum facere constituit, cui *in demoliendo* eximia civitatis severitas et consul Scipio restitere'. Cum veteres scriptores ad unum omnes disertissime scribant, theatro illi non destruendo sed] exstruendo cives Romanos restitisse, Kritzius et Haasius cum Riguezio ediderunt *in eo moliendo*. Contra Martinus p. 13 volgatam lectionem, quam supra dedimus, singulari quodam usu praepositionis *in* tuetur, de quo Handius Turs. III p. 286, quam sic fere interpretere *der Widerwille der strenggesinnten Bürger zeigte sich darin, dass sie das Theater wieder niederreissen liessen*, qui usus nec tam late patet et ab hoc loco alienissimus est. Equidem cum Acidalio mutationem, quae paene nulla est, verissimam esse iudico *cui inde moliendo* i. e. cui theatro inde, postquam fieri coeptum s. conditum est, exstruendo ac perficiendo restitit severitas civitatis. Verbum *moliendi* eadem vi legitur I 11, 5. II 1, 2; 8, 3; 130, 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I 16, 1 similitudinem *rotae pronive gurgitis ac verticis* *), qua usus est Velleius ad indicandam summam scribentis festinationem, Kritzius illud epitheton naturae gurgitis repugnare contendens mutavit verbis transpositis *pronive verticis ac gurgitis*. Sed cum gurges, ut cum Ovidio loquar, in curvos arcus sinuatus omnia in profundum secum rapiat et hauriat nec quicquam patiatur consistere, quare sescenties poetis est modo altus modo rapidus, quidni aptissime dicatur *pronus* i. e. cuius aqua prona fertur? — Ib. § 3 novissimi editores cum Burmanno praeferunt singularem numerum *tragoediam* plurali *tragoedias*, quod Velleius non singulas fabulas, sed totum genus comprehendat atque eadem ratione de *comoedia* loquatur. At si principes illi tragicorum Graecorum *tragoedias* illustrasse dicuntur, eosdem simul suo quemque modo atque ingenio totum genus illustrasse par est. Simillima sunt, quae Martinus iam attulit, infra II 9, 3 'clara etiam fuere ingenia in togatis Afrani, in *tragoediis* Pacuvi atque Atti', et Quintiliani I. O. X 1, 66, qui ab antiqua *comoedia* transit ad *tragoedias*, quas primus in lucem protulerit Aeschylus, quamquam iis quae adicit 'sed longe clarius illustraverunt *hoc opus* Sophocles atque Euripides' Burmanni coniectura commendari videtur. Difficiliora sunt quae de comicis poetis adduntur *ac novam comicam Menandrus aequalesque eius aetatis magis quam operis Philemo ac Diphilus et invenere intra paucissimos annos nec imitanda reliquere*. In his cum vocem *comicam* stare non posse viderent, Acidalius eiecit, Haasius uncis circumscripsit, alii corrigere satius putaverunt, in quibus Grunerus *comoediam*, quod Kritzius recepit, Orellius *mimicam*, omnium infelicissime Martinus p. 10 *tomicem*, qua scilicet voce ex *tomice* ficta s. *thomice*, i. e. filo contorto, ad similitudinem Latinorum fili ipsum dicendi genus significari opinatur. Ut dicam quod sentio, sub finem vitae Terenti Suetonio falso adscriptae versus leguntur, quibus C. Caesar de Terentio, postquam eum dimidiatum dixit Menandrum, haec habet:

lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis,
comica ut aequato virtus polleret honore
cum Graecis neque in hac despectus parte iaceres.

Interprete F. A. Wolfio *vis* ibi est *δύναμις* vel *δεινότης*, i. e. illud in comoedia ridiculum, quod ad movendum spectatorem multo efficacius est

*) Verticem aquarum intellegendum esse propter adpositum gurgitem luce clarius est, quamquam hoc ipso sensu alteram formam *vorticis* praeferendam esse multi censent, v. Wagnerus ad Verg. Aen. VII 31, Georg. I 481 et Orthogr. Verg. p. 481. Utriusque vocabuli discrimen et usum adcurate exposuit Doederlinus Synon. V p. 156.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam reliquae virtutes pleraeque et sermo purissimus. Inde suspiceris Velleium scripsisse *novam vim comicam*, nam ut ante non simpliciter posuit veterem, sed *priscam et veterem comoediam*, ut eius naturam ac rationem certe uno verbo designaret, sic et h. l. *vim comicam* simplici nomini comoediae videtur praetulisse. Item non simpliciter commemorat Philemonem et Diphilum, sed iudicium aliquod addens utrumque dicit aetate magis quam opere i. e. arte vel praestantia operis Menandrum aequasse, nam re vera Diphilus fuit secundus iudice Quintiliano X 1, 72. Denique *neque imitanda* interpretor 'et non imitabilia', i. e. praestantissima (opera). — §. 4 in verbis *philosophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia omnium* cet., cum ingenia philosophorum Socratis ore defluere dici non possint, multo minus florere, Kritzius corrigit *defluentium*. Contra volgatam scripturam iure retinuit Haasius, quoniam ingenia philosophorum ipsi philosophi sunt ingeniosi, velut II 9, 3 'ingenia Graeca' coll. I 16, 2; 17, 4. II 36, 3. Suet. Vesp. 18. Aug. 89.

II 1, 5. *Mancinum verecundia quippe non recusando perduxit huc ut* cet. Velleius consentiens cum ceteris scriptoribus, quorum testimonia diligenter congessit Haakhius in Paulyi Encycl. III p. 1529 sq., planissime rem narravit, ut iure mireris quantopere viri docti in iis emendandis explicandisve desudaverint. Nimirum *verecundia* illa, quam mire Jacobsius interpretatur *die Nachsicht des Feindes*, intellegenda est populi Romani, de qua explicatius Florus I 34, 7 s. II 17, 18 'sed non minus Numantini quam Caudini illius foederis flagrans ignominia aut pudore populus Romanus dedecus quidem praesentis flagitii deditione Mancini expiavit' et auctor perioch. Livi LVI 'ad exsolvendum foederis Numantini religione populum Mancinus, cum huius rei auctor fuisset, deditus Numantinis non est receptus'. Ad verbum *recusandi* ex tota verborum complexione poenae nomen quominus suppleas nihil impedit, praesertim cum gratia eiusdem populi Pompeius dicatur impunitus esse habitus, unde quod Kritzius scripsit cum alio viro docto *quippe poenam non recusando* merito repudiavit Haasius. Quam familiaris autem fuerit Velleio usus ille verbi *perducendi*, plura exempla docent, velut infra 96, 1 et 128, 4.

II 2, 1 *Ti. Gracchus . . . quo quaestore et auctore id foedus* (Numantinum) *ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari* cet. Cum Kreyssigio Kritzius pro vano, ut ipsi videtur, et ieiuno vocabulo *factum* dedit *pactum* eumque secutus est Haasius: quasi foederis sponsor nihil fecisse putandus sit. Nimirum et Graeci et Latini scriptores verbo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ποιεῖν et *facere* uti solent, quo uno plura, quae ante posita sunt, complectantur, unde *factum* h. l. ad foedus ictum spectare nec aliud quidquam significare vides quam *pactum*, quod illi voluerunt.

II 4, 7 Structuram verborum *in quem* (senatum) *creatus est* minus quidem usitatam, at barbaram non dixerim cum Kritzio, qui *evectus est* recepit, nam comparari poterit illud Justini XXXXII 4, 14 'destinare aliquem regem in locum alicuius' et Platonicum Menon. p. 90b *αἱρεῖσθαί τινα ἐπὶ τὰς μεγίστας ἀρχάς*, nec huc non pertinere videntur trita illa 'legere in senatum, in patres'.

II 5, 3 (2) Q. Metellus Macedonicus in oppugnanda urbe Contrebia pulsas praecipiti loco quinque cohortis eodem protinus subire iussit, 'facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, *non deterritus proposito perseverantia ducis* quem moriturum miserat militem victorem recepit'. Vitiosae huic ed. pr. et Amerb. scripturae ut succurreretur, Kritzius verba *perseverantia ducis* suo loco mota subiecit sequentibus *tantum effecit*, uncis circumscripsit Haasius. Schwerdtius (*Probe einer neuen Horazrezension* Monast. 1863 p. 106) lusit *non deterritus proposita perseverantia dux*, in quibus quam recte dici possit 'proposita perseverantia' ipse videat. Denique quod Bernaysius ap. Haas. denuo proponit, nempe Heinsius iam proposuerat, *non deterritus est proposito. Perseverantia ducis quem* cet., aegre feras propter membra orationis nimium concisa. Lenissima mutatione, qua structurae pariter ac sententiae verborum optime consulatur, restituendum esse puto cum Burmanno *non deterrita a proposito perseverantia ducis*, nisi quod ex communi dicendi usu *a* praepositionem adieci,*) quam etiam perspicuitas orationis requirere videtur, ne quis de proposito militum cogitet.

II 9, 2 (1) 'Q. Mucius iuris scientia quam *propriae* eloquentiae nomine celebrior fuit'. Cum Q. Mucium Scaevolam pontificem eloquentia, qua excellebat, solo fere subsidio et instrumento ad causas agendas usum esse constet, unde Ciceroni est de or. I 39, 180 et Brut. 39, 145 'iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus' (v. Westermanni hist. eloq. Rom. p. 121 sqq.), quo iure eum Velleius non tam propria eloquentia quam iuris scientia insignem fuisse dicat vix ambigas; eam enim intellegit eloquentiam, quae finibus illis circumscripta et inde quasi pendens minus dici possit propria. Adverbium *proprie*, quod Kritzius et

*) Praeter Horatium AP. 392 unus Sallustius Jug. 98, 5 eam omisit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Haasius cum Lipsio adiectivo praetulerunt, sive hoc sive illo modo explicas, cum ceteris verbis qua ratione apte possit iungi me nescire fateor.

II 11, 1 C. Marium *equestri* loco natum ut facerent rusticum, qui revera fuit, ineptissimum illud *equestri* cum viliore voce commutare studuerunt viri docti, velut *rurestri, quaestuario,* i. e. ex officina ferraria, *sequestri.* Hazenbergius in libello de C. Mario (Lugd. Bat. 1838) p. 30 adn. 3 coni. *ignobili,* motus haud dubie iis, quae habet Valer. Max. VI 9, 14. Recentissimi editores acceperunt haud spernendam Vossi coniecturam *agresti.* Equidem *silvestri*, quod a Pighio in Annal. Rom. ad a. u. 629 propositum Kritzi sedulitatem effugit, praeferendum esse duco, cum et generi Mari et verbis subiectis, quibus *hirtus atque horridus* appellatur, egregie conveniat.

II 12, 1 *ut praecaventibus fatis* Doederlinus explicat 'quasi hanc fata ideo constituerint coniunctionem, ne postero tempore dissiderent', eademque fere est Haasi explicatio coll. Cic. div. in Caec. 19, 61.

II 20, 5 'Opus erat partibus (sc. Cinnae) auctoritate, *gratia, cuius augendae* C. Marium cum filio de exilio revocavit'. Quamquam neque in duobus substantivis sine copula positis neque in genetivorum usu haereo, sive causalem sive finalem eorum vim esse statuis*), tamen traiecto priore nomine scripserim *cuius augendae gratia,* cum Vellei consuetudo loquendi id postulare videatur (v. 6, 2 et 20, 5) et auctoritatis nomen, ut qua Cinnae partibus potissimum opus fuerit, sufficiat.

II 25 3 'adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum vincit *ac iustissimo* lenior, post victoriam audito fuerit crudelior'. Corruptum *ac* Kritzius cum Burmanno mutavit in *acie,* Haasius coni. *cautissimo.* Alii lacunam statuunt. Illis coniecturis etiam hanc meam quamquam dubitanter adiciam: *dum vincit, ocius iustissimo,* obscurata comparativi significatione, qualem invenias praeter poetas apud Caes. b. G. V 44, 11 et Liv. X 40, 6. Obiter moneo, mitissimum ac iustissimum regem Antigenem appellari a Livio XXXII 21, 5, iustitiam et lenitatem iungi a Cic. p. Marc. 4, 11. cf. eiusdem or. p. Rosc. Am. 53, 154.

II 26, 1 *vir animi magis quam aevi paterni.* Cum Orellio scripsit Kritzius *ingeni* pro *aevi,* Bernaysius ap. Haas. inverso ordine coni. *saevi quam.* Minime

*) Satis firmatur exemplis a Kruegero congestis Gr. lat. § 489 adnot. 8. Madvig. Gr. lat. § 417 adn. 5. Haasius in altera ed. p. IX praefert cum Boxhornio dativum *cui augendae,* quem Zumptius magis latinum esse dicit Gr. lat. § 764.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vero negat Velleius his verbis, ut Kritzio visum est, C. Marium septiens consulis filium viginti sex annorum patrem septuagenarium vitae curriculo aequasse, quod esset ineptissimum, sed, cum ex communi veterum opinione longior vita simul maioris felicitatis signum ac documentum haberetur, hoc sibi voluit, illum immatura morte maioris gloriae fructu defraudatum esse. Ita Velleius aliquando non sine aliquo doloris sensu res graves atque adversas narrat, ut supra 14, 3 infra 67, 1; 119, 1 Cf. Liv. XXXVIIII 51. Xenoph. Hist. Gr. II 4, 1. Arrian. Anab. III 22, 2.

II 27, 1 Pontius Telesinus dicitur vir *animi bellique fortissimus penitusque nomini Romano infestissimus.* In his adverbium *penitus,* quod volgo statuunt, cum superlativo ad solam eiusdem vim augendam, ut alias *longe,* artius copulari posse nemo facile, qui naturam et usum illius adverbii adcuratius perspexerit, concedet, quamquam Freundius Lex. lat. III p.310a et Luebkerus in Klotzi Lex. lat. II p. 27 ex hoc unico loco id, quod modo negavi, probare student. Nec magis ad confirmandum illum usum, quem sibi finxerunt lexicographi, huc referas adverbia quaedam in Graeco sermone superlativis interdum adiecta, quae sunt alius generis, velut *διαφερόντως*, quod quomodo explicandum sit optime nos docet H. Sauppius ad Plat. Protag. p. 349d, unde et iure defendas, quod scriptum est in Polybii Excerptt. Vatt. p. 89, 3 Heys. s. XXXVIII, 1. 6 Mai *ἐκινδύνευσαν μὲν πάντες, ἔπταισαν δὲ τελέως ὀλίγιστοι* contra Cobetum Mnemos. n. s. II P. 1 p. 36 (Amstelod. 1862) praepropere mutantem *ὀλίγοι*, cum *τελέως* ad totam pertineat sententiam, ut *omnino* ap. Cic. Cat. m. 3, 9 Epp. ad Fam. VII 1, 2 al. Sed ut redeam ad eum locum, unde digressus sum, vindicanda ibi est propria adverbii *penitus* ad animum translati vis, qua Telesinus intima mente, intimis sensibus et quasi in visceribus (nobis *im Innersten, im Grunde des Herzens*) infestissimus fuisse Romano nomini i. e. inexpiabile et implacabile odium adversus Romanos suscepisse putandus est. Sic Cicero Agr. II 6, 14 'insitum penitus odium' et or. p. Cluent. 1, 4 'opinio tam penitus insita, tam vetusta', et Vergilius, cuius verba Velleianis vel maxime congruentia omnem scrupulum penitus nobis evellent, Aen. VIIII 141 Troianos dicit *penitus* genus omne *perosos* femineum'. Quibus expositis satis apparere arbitror, Kritzium priorem istum usum adverbii *penitus*, quem nullum esse nobis est persuasissimum, tamquam soloecismum recte reiecisse, minus recte secutum esse Rosenheynium corrigentem *genitusque*, cui participio vereor ut praedicatum *infestissimus* secundum legem grammaticam adiungi liceat, cum omnia veterum scri-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ptorum exempla, quorum magnam partem ipse attulit Kritzius, participia *genitus* et *natus* dativum rei, cui quis natus sit, asciscere vel alio modo, quo finis indicetur, componi ostendant. Neque quod Haasius verbis non solum mutatis verum etiam traiectis edendum curavit *vir animi fortissimus bellique peritus*, volgatae lectioni praetulerim, si quidem verba insolentius composita *animi bellique fortissimus*, quorum in locum tale quid malis quale est 'animo manuque fortissimus', a Velleiani sermonis consuetudine minime recedunt. Cf. I, 3, 1 II, 93, 2 et Boetticheri Lex. Tacit. p. 213 sq.*)

II 29, 3 (2) Cn. Pompeius *eloquentia medius*. Cogitarunt interpretes neglecto discrimine, quod faciundum est inter medium et mediocre, *μέσον* et *μέτριον*, de mediocritate quadam dicendi, quae quam parum congruat ceteris Pompeii virtutibus, quas praedicat Velleius, in aperto est. Imo referamus illa oportet ad medium dicendi genus inter grave et tenue interiectum, in quo adeo aliquantum laudis positum est, quam amplificans Cicero de imp. Pomp. 14, 43 Pompeio magnam tribuit dicendi gravitatem et copiam. Adcuratius illud genus exposuit de opt. gen. orat. 1, 2 'oratorum autem si quis numerat plura genera, ut alios tenuis aut subtilis aut brevis, alios eis interiectos et tamquam medios putet' cet. cf. Orat. 28, 98. Deinde quod proposuit Th. Mommsenus (Relat. act. soc. lit. Sax. a. 1854 VI p. 156) *non vi occuparetur* pro volgato *non ut occ.* propter opposita *quae* (potentia) *honoris causa ad eum deferretur*, specie blandum, reapse repudiandum est, quoniam vis illa, quam quis desideret, *occupandi* verbo comprehenditur. Priorem autem totius huius loci partem ad exemplum et auctoritatem ed. pr. et Amerb. utcunque ita poteris conformare *fuit hic matre Lucilia, stirpis senatoriae, formâ excellens non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constantiaque in illam conveniens amplitudinem fortunamque eius ad ultimum vitae comitata est diem*, ut adversativa sententia *sed ex dign.* sqq. ad Graeci sermonis normam non tam prioribus supplendo pronomine *quae* adnectenda quam per se spectanda (v. Bernhardyi Synt. gr. p. 394 extr. coll. Kruegeri Gr. lat. § 556 extr.) et ad verbum *comitandi* obiectum sive *eum* sive *amplitudinem fortunamque eius* mavis supplendum sit.

II 32, 2 plebs Catulum *dissuadentem et adversarium voluntatis suae vero testimonio fraudare noluit*. Amerb. *testimonium*, in quo fortasse latet *testimonio omnium*, nam supra § 1 idem Catulus 'victus consensu omnium et tam honorifico civitatis testimonio e contione discessit'.

*) Paldamum ad Propert. p. 257 *pariterque* conicientem uno verbo commemorasse satis habeo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II 33, 1 L. Lucullus 'bello paene invictus pecuniae *pellebatur* cupidine'. Sic Amerb., quod receperunt Kritzius et Haasius, quamquam qui eadem vel simili ratione illo verbo usus sit, frustra quaeras. Ed. pr. *expellebatur*, Ruhnkenius *exercebatur*, probatum postmodo Doederlino Synon. V. p. 61, Bernaysius ap Haas. *polluebatur*, alii aliter. Ut voc. *invictus* habeat, cui apte possit opponi, fortasse praestat illis *petebatur*. Huius verbi *petendi* usus exempla, quae conferre possis, sunt Livi XXXX 55, 3 'peti fraude et insidiis', Taciti ab exc. d. Aug. II 55 et IIII 33 'peti insectatione, falsis criminibus'. Deinde § 2 in verbis, quibus emendandis viri docti inter se certaverunt, 'neuterque *ab eo quod arguebatur*' illud *ab eo* accipias ita ut sit 'quod attinet ad id', unde Velleium haec commode dixisse intelleges: iurgii indignitas argui poterat, ipsorum criminum veritas non poterat.

II 35, 5 (4) 'At Catilina non segnius *vota obiit* quam sceleris conandi consilia inierat, quippe fortissime dimicans quem spiritum debuerat supplicio reddidit'. Eximie ita Velleius funestum Catilinae exitum descripsit, ut melius vix potuerit. Nimirum ex communi veterum opinione, qui in acie fortiter pugnantes cecidissent, egregia morte defuncti esse dicebantur*), unde Curtius VII 39 (10), 6 'honestam mortem quam fortes viri voto quoque expeterent, carminibus celebrare', ib. VIII 33 (9) 32 'expetitam mortem pro decore vitae habent'**). Et Florus II, 12 (IIII, 2), 12, qui locus vel maxime huc pertinet, 'Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est, pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset'. Itaque Catilina postquam fortissime dimicans spiritum reddidit, vota sua obiit et quasi exsolvit. Aptissime opposita vides verba *conandi consilia inire*, nam ut verba *vota obire* i. e. exsequi, peragere, ad finem spectant, ita *consilia inire* i. e. capere, ad initium. His praemissis de emendandi huius loci conatu quid statuendum sit, nemini dubium fore confido. Kritzius cum Aldo Nepote accepit *vita abiit*, quod in tali narratione ieiunum, Haasius cum Acidalio *conata obiit*.

II 40, 3 Pompeius 'cum privato comitatu, quem semper *illa fatare* moris fuit, in urbem rediit'. Vitiosissime sic ed. pr. et Amerb. Ruhnkenii emendationi *illi trahere* Haasius iudice Kritzio cumulum addidit scribendo *illi secum tr.* Probabilius videri possit, quod Burmanno debemus, *illum sectari*, nec abs re fuerit *illi* vel *illum adulari*: sed unice verum nunc

*) Veterum testimonia collegit Thielius ad Verg. Aen. vol. II. p. 688 sq.

**) Sic enim ex optimo cod. verba nuper restituit Arnoldus Hugius in Mus. Rhen. a. 1865 XX 1 p. 124 pro volgatis 'exspectatam mortem pro dedecore vitae habent'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse puto, quod felicissima coniectura assecuti sunt Doederlinus et Halmius, *illi astare*. Ceterum Plutarcho Pomp. c. 43 dicitur intrasse urbem *ἄνοπλος καὶ μετ' ὀλίγων τῶν συνήθων ὥσπερ ἐξ ἄλλης ἀποδημίας διαπορευόμενος*.

II 42, 2 (3) C. Julius Caesar 'contracta classe *et privatus* et tumultuaria . . partem classis (sc. praedonum) fugavit'. Hanc ed. pr. et Amerb. scripturam Haasius tuetur, Kritzius ex Oudendorpi emendatione edidit *et privata*, Orellius *et privatim*. Fort. *ex privatis* i. e. quae ex privatorum hominum navibus constaret mercaturae potius quam bello destinatis. De eodem deinde Caesare: 'in Bithyniam perrexit ad proconsulem Junium, *cum idem enim Asiam eam quam obtinebat*'. Extrema vitiosissime sic scripta in ed. pr. et Amerb. multis modis tentata sunt. Nipperdeius nuper in Mus. Rhen. a. 1864 XVIIII 4 p. 579 coni. *idem enim Asiam obtinebat*, Haasius in ed. alt. *idem enim Asiam etiamtum obt.;* lenius fort. *tum idem enim Asiam tamquam obtinebat*.

II 44, 4 'circiter viginti milia civium eo deducta et ius *ab his* restitutum.' Hanc ed. pr. et Amerb. scripturam Haasius retinens *ab his* cum Vossio haud cunctanter ad Caesarem et Pompeium retulit, Kritzius cum Puteano *ius civitatis* accepit, Hertzius Mus. Rhen. a. 1843 II p. 477 sq. coni. *ius abscisum*. Velleius in universum de iure restituto loqui videtur et scripsisse *ius a* II *viris*, i. e. duumviris (sc. iuri dicundo), summo illo magistratu, cui ius dicendi potestas in coloniis data.

II 45, 1 'P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, *quique dicendi neque faciendi* ullum, nisi quem vellet, nosset modum'. Horum verborum sententiam ubi attentius consideraveris, facile invenies adiectis illis *quique dicendi* cet. explicari, quatenus Clodius *disertus* fuerit et *audax*. In eiusmodi autem sententiis explicativis, quas vocant, propriam suam vim habere particulam *que* res est nota. Quod si verum est, sequitur illico, negativam particulam *neque* alteri verbo additam ad prius simul referendam esse hoc modo *quique neque dicendi neque faciendi* cet. Atque in Graeco sermone usus ille particulae *οὐδέ*, quem certa quadam lege acute circumscripsit Lobeckius ad Soph. Ai. v. 244. p. 186 sq. (ed. sec.), latissime patet. Unum adferam exemplum*) Eurip. Troad. 481 (477) *οὓς Τρῳὰς οὐδ' Ἑλληνὶς οὐδὲ βάρβαρος γυνὴ τεκοῦσα κομπάσειεν ἄν ποτε* i. e. *οὓς οὐδὲ Τρῳάς*. Nec Latinos scriptores, inprimis poetas, eandem el-

*) Multa promiscue cumulavit Matthiaeus in Gr. gr. § 609, 1 p. 1448 ed. tert. cf. Schaefer. ad Greg. Cor. p. 58 et Bosi Ell. gr. p. 777.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lipsin respuisse exempla docent ab interpretibus ad Juvenal. sat. 3, 309 congesta, quamquam a Vergilii loco Aen. I, 544, quem ad illustrandum illum usum nostri latinae grammaticae auctores adhibent, in posterum abstinendum erit, cum recte nunc ibi interpungatur 'quo iustior alter nec pietate fuit'. Quare Velleio rariora studiosissime sectanti eius modi ornamenta relinquere consultius duco.

II 45, 5 de M. Catone: *cuius integritatem laudari nefas est.* Haec verba, pro quibus Aldus Nepos *non laudari*, Ruhnkenius *haud l.*, Halmius *laude defraudari*, ut cum Haasio, qui iure intacta reliquit, a quovis emendandi impetu in posterum defendam, moneo, Velleium ne iustas debitasque laudes detrahat Catoni, hoc dicere, qui integritatem eius laudet, eum nefas et quasi piaculum sibi contrahere. Atque eundem et orationis et sententiae colorem verba Taciti exhibent Agric. 9, 5 'integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit'. Explosit tamen recepta Halmii coniectura scripturam illam tamquam ineptam Kritzius. Is vero quod contra affert, laudem Catonis nefariam dicere nimis absurdum esse, admodum claudicare concedes, ubi reputaveris plurimum interesse inter ipsam laudem, quam nefariam dicas, et inter eum, qui, si quem laudare instituat, nefas facere existimandus sit. Ut in pauca conferam, laudatio s. actio laudandi diversa est ab ipsa laude. Iam quam adcommodata sit oppositorum verborum ratio 'insolentia paene argui potest', demonstretur vix opus est, nam, ut mittam sententiae conformationem, quid melius putabis respondere verbo *laudandi* quam *arguendi*?

II, 46, 3 M. Licinium Crassum '*proficiscentem in Syriam diris cum omnibus tribuni plebis frustra retinere conati*.' Plutarcho auctore (Crass. c. 16) solus C. Ateius tribunus plebis suffimentis in ignem proiectis deos quosdam terribiles invocans horrendis atrocibusque diris Crassum retinere conatus est, itemque Florus III 11, 3 (I, 46, 3) Ateium exeuntem Crassum 'hostilibus diris' devovisse narrat. Appianus (b. c. II, 18) de tribunis plebis in universum loquitur. Iam cum ab omnibus scriptoribus solae imprecationes memorentur, Velleium quoque de his, non de ominibus cogitasse credibile est, praesertim cum tribunorum exsecrationes mox repetat. Itaque aut retinendum cum ed. pr. *diris cum omnibus* i. e. omnis generis, atrocissimis adeo,*) aut propter insolentiam particulae *cum* sic interiectae scribendum *diris immanibus*, quae sunt Plutarcho *δειναὶ καὶ φρικώδεις*.

*) Ut Graecorum *πᾶς* inde ab Homero pro *παντοῖος*, ita *omnis* eadem potestate saepissime.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II 47, 4 'P. Clodius a Milone . . *exemplo inutiliter, facto salutari* reipublicae iugulatus est'. Cum exemplum non solum facinus sit, quod alii imitari possint sive bonum sive malum est, sed etiam documentum, quod intuentes docemur, quid faciundum fugiendumve sit, caedes Clodii exemplo inutiliter facta esse dici poterit, ipsum facinus salutare reipublicae. Contra 'utile exemplum' mala aliena dicuntur Livio XXI 34, 1. cf. Boetticheri Lex. Tacit. p. 182, Nipperdeius ad Tac. ab exc. d. Aug. I 38. p. 37. Quo magis contraria attributorum apparerent, Haasius cum ed. Bas. et Kritzio dedit *inutili*, Halmius *inutiliter . . salutariter*. L. Spengel in Philol. a. 1862 XIX p. 74 corr. *exemplo inutili interfectori, salutari reipublicae*, quae opposita minus mihi placere fateor.

II 52, 4 in pugna Pharsalica *ut primum C. Caesar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius neque antiquius quicquam habuit, quam in omnis partis, ut militari et verbo et consuetudine utar, dimitteret*. Plerique editores hic excidisse plura putant, quibus indicaretur Caesarem in omnis partis dimisisse, qui proclamarent, ut pulsis deditisque parceretur. Nimirum plenius sic narrant Suetonius Caes. c. 75, Appianus b. c. II 80, Florus IIII 2, 50 (II 13). Quare Kritzius lacunae signum posuit post vocem *dimitteret*, alii vario modo eam complere studuerunt, in quibus Haasius nuper *dimittere praecones parce civibus edicentes*, alii alia commenti sunt. At deesse quicquam nego, immo integerrimam orationem esse contendo: nonne enim licuit Velleio quod scriptoribus illis, quos aetate inferiores ipso fuisse constat, paulo copiosius prodere placuit, brevius complecti? Et satis dilucide quid voluerit elocutum eum esse concedes, si verbum *dimittendi* ea potestate mecum acceperis, ut sit 'discedere iubere' scil. ex pugna, *entlassen*,*) ad quod *inclinatam Pompeianorum aciem* obiectum quod dicunt referas. Erat *dimittendi* verbum hac ipsa vi positum, cuius exempla ex Caesaris, Livi, aliorum libris lexica sat multa suppeditant, non minus sollemnis quaedem vox militaris quam quod additum est *in omnis partis*, idque significare voluit Velleius *militari verbo et consuetudine*, nihil aliud. Nec in eo cum Kritzio sentio, quod adverbio *quam* cum ed. Bas. subicit *ut* coniunctionem, quae deesse nequeat, ubi sequatur verbum. Verum quidem est, in eius modi enunciatis praecedente negatione addendam esse particulam *ut***) (Cic. Fam. XI 5, 1 'nec habui quicquam antiquius quam ut Pansam statim con-

*) Planissime Vergil. Aen. X 46 'liceat dimittere ab armis integrum Ascanium'.

**) Diversissima enim est ratio eorum locorum quibus ut et addi et omitti solet; v. Weissenborn. ad Liv. I 15, 2. Madv. Gr. lat. §. 360. adn. 4.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

venirem), sed cum saepius infinitivus sequatur, eundem (*dimittere*) Velleio cum Haasio malim restituere. Suetonius Claud. 11 in. 'Imperio stabilito nihil antiquius duxit quam id biduum memoriae eximere.' Livius XXXVIIII 47, 4 'nihil prius nec potius visum est, quam responsa accipere.' cf. id. I 32, 2. Justin. XXXVIIII 3, 5.

II 54, 2 'nusquam erat Pompeius corpore, adhuc ubique *Jubae* nomine'. Jubae nomen quamquam quodam modo defendi potest eo, quod Juba una cum Scipione bellum Africanum continuasse mox narratur, tamen errore huc illatum esse censeo propter neglectam Scipionis societatem. Quod Heinsius pro *Jubae* nomine substituit *vivebat*, receperunt tamquam palmarem emendationem Kritzius et Haasius, languere mihi videtur, certe gravius in graviore sententia: 'adhuc ubique nomine'. Ne quis vero speciosa coniectura *tubae* a Lud. de Jan propositae decipiatur, auctorem ipsum eam respuisse sciat in Philol. a. 1848 III p. 341. Scilicet 'tuba belli civilis' per contemptum dicitur Ciceroni Fam. VI 12, 3 ut 'tuba rixae' Juvenali 15, 52.

II 55, 1 de Caesare *ibi primo varia fortunam expugnavit via* vitiose ed. pr. et Amerb. Omnes paene editores acceperunt Acidali emendationem *varia fortuna, mox pugnavit sua*, quod, cum saepe laudetur a Velleio singularis quaedam fortuna Caesaris, satis aptum. Possis etiam *primo variam fortunam*, i. e. quae primo varia fuisset, *expugnavit vi sua*, nam et illa Caesaris propria vis in rebus gerendis ab omnibus fere scriptoribus praedicatur.

II 55, 4 Cn. Pompeius inventus est inter solitudines avias *gravis volnere*. Extrema rectissime iungi, cum et alia eius modi adiectiva vim participii praeteriti passivi recipiant, et Graeca docent βαρὺς γήρᾳ, νόσῳ et similia, i. e. gravatus (cf. infra 76, 1 'gravis iam aetate et corpore') et praeter Vellei exemplum certissimum Livi, quod omnes fugit interpretes, XXXVI 20, 5 'gravis volneribus'. Amerb. *gravi volnere*, Halmius *ictus gravi volnere*.

II 56, 3 verba 'illi tanto viro et tam clementer *omnibus* uso' spectant ad ea, quae ante dixerat Velleius § 1 'omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit', qua re omittenda erant recentissimis editoribus a Burerio et ed. Bas. addita *victoriis suis*.

II 57, 1, quod Caesar Pansae et Hirtio ut principatum armis quaesitum armis teneret hortantibus dictitasse narratur *mori se quam timere**)

*) Sic primum scripserat Amerbachius, post corr. *timeri*, quod etiam ed. pr. exhibet et Kritzius Haasiusque acceperunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

malle, idem Plutarcho auctore (Caes. 57) amicis ipsum custodiis uti iubentibus operamque suam offerentibus respondet his verbis usus *βέλτιόν ἐστιν ἅπαξ ἀποθανεῖν ἢ ἀεὶ προσδοκᾶν*. Nec dissentit Suetonius (Caes. 86)*), qui custodiis Hispanorum cum gladiis sectantium remotis eum dicentem facit 'insidias undique inminentis subire semel satius esse quam cavere semper'. Et ad sententiam idem, verbis brevius Appianus b. c. 2, 7 et 109 *οὐδὲν ἀνυχέστερον διηνεκοῦς φυλακῆς*. Haec igitur Velleianis simillima esse vides, ipsumque Velleium notissimi Caesaris dicti mentionem inicere voluisse iam inde colligi poterit, quod usus est *dictitandi* verbo. Quod si ita est, verbum *timere* non ea potestate qua Kritzius voluit, ut alteram scripturam *timeri* defenderet, accipiatur oportet, sed ita potius ut idem sit quod *timere sibi* s. *vitae suae*, Plutarcho *προσδοκᾶν*, Suetonio *cavere*, nobis *für sich* s. *für sein Leben fürchten* s. *in Todesfurcht schweben***). Deinde quod Plutarchus subicit verbis, quae supra posuimus, Caesarem civium benevolentia honestissima eademque fidelissima custodia sese munientem populum frumentis, largitionibus, aliis beneficiis ornasse, id profecto eiusmodi erat, ut et in posterum mutuam benevolentiam et clementiam, quod Velleius scribit, exspectare posset. Et in his cum Plutarcho consentire Velleium haud exigui est momenti nec, ut addam quae contra adferri possint, scripturae illius quam tuemur praestantia infringi poterit Ciceronis verbis in Philipp. I 14, 35 quibus scilicet Antonium tetigit 'si enim exitus C. Caesaris efficere non potest ut malis carus esse quam metui, nihil cuiusquam proficiet nec valebit oratio'.

II. 59, 6 Augusto, cum ex Apollonia reversus urbem Romam intraret, *solis orbis super caput eius curvatus aequaliter rotundatusque in colorem arcus* . . conspectus est. Res est satis nota multisque scriptoribus celebrata, quam haud scio an respexerit etiam Vergilius Aen. XII 161 sqq., sed in verbis cur haereamus plura nobis occurrunt. Ac primum quidem tenendum est, solis orbem h. l. non solis ipsius sphaeram s. corpus esse, sed circulum soli circumdatum (*Umkreis um die Sonnenscheibe, Hof*),

*) Suetoni verba quamquam non uno modo leguntur in libris et editionibus (v. Rothi edit.), eandem tamen sententiam continere manifestum est.

**) Haud absimile est nostrum *Besser ein Ende mit Schrecken als ein Schrecken ohne Ende*, quod Ferdinandus de Schill cum alias in ore gerebat tum funesto illo die, quo in extremo rerum discrimine contra Batavos atque Danos mercennarios Sundiae fortissime dimicans vitam exhalavit. v. Bärschi *Ferd. v. Schill's Zug und Tod.* Lips. 1861 p. 76.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae Dioni Cassio XLV 4 est in eiusdem rei narratione ἶρις πολλὴ καὶ ποικίλη, unde, quo accuratius illud designaret, *circa orbem solis orbis* praeter necessitatem scripsit Haasius. Magis etiam dubitari potest de iis, quae sequuntur *rotundatusque in colorem arcus*, ex quibus quomodo solis orbis colorem arcus referens, quam sententiam omnino requirimus, elici possit frustra sit qui docere studeat. Nimirum apte dicitur *rotundari in formam* vel *circulum arcus*, at *rotundari in colorem arcus* dicere ne poetis quidem licuerit. Id sentiens Kreyssigius coniecit *in coloreum arcum*, minus bene Ludov. de Jan Philol. III p. 341 (a. 1848) *colore arcus*, ut esset ablativus quem dicunt qualitatis. Illud utut est, cum antecedat *aequaliter curvatus*, quid facias adnexo verbo *rotundatusque?* Fallor aut scripsit Velleius *rutilatusque in colorem arcus*. Certe auroram rutilantem, quamquam intransitiva vi, Attium poetam dixisse testis est Varro de L. L. VII 5, 96*).

II 64, 2 sq. 'Caesarem, qui illa dederat, *perire*. *Isthaec* sunt tempora'. Sic haec pro depravatis *peris. haec.* ed. pr. et *peristhaec* Amerb. emendanda esse iudico cum L. de Jan in Philol. a. 1848 III p. 339, nisi quod is *perisse* dedit cum Laurentio. Composito illo pronomine, quae est saepe eius potestas, aptissime simul misera illorum temporum conditio indicatur, ut si dicas: *das sind die traurigen Zeiten.* vid. quae scripsi ad 26, 1. Rhenanus in margine, quem secuti sunt recentiores editores, *perire. Haec*; Doederlinus coni. *perimere.* — Paucis interiectis quae habemus 'Ciceronis (sanguine) *vel* satiato Antonio paene finita' (sc. proscriptio), in iis Puteanus, cui adsensi sunt Kritzius et Haasius, *velut* correxit, quod propter adiectum 'satiato' postulari quis credat? Panegyr. vet. I p. 533 Iaeg. 'Cinna et Marius, qui non solo se Octavii consulis capite satiarunt'. Laurentius 'Ciceronis *interitu* satiato'. Si quid mutandum, in propinquo erat *caede.* Sed particula *vel*, quam tantas turbas excitare potuisse vix credas, unice vera est, si modo eam vim inesse ponas, qua ad priora distinctius explicanda adhiberi solet, ut sit idem quod 'vel potius', 'vel ut verius dicam', *oder vielmehr.* Unum ex multis sufficiat exemplum Cic. Tusc. II 20, 46 'summum bonum a virtute profectum vel in ipsa virtute positum'.

II 68, 5 de Caesare: *in hoc tamen saepe lacessiti principis ira excessit, ut censoria potius contentus nota quam animadversione dictatoria summoveret eos* (tribunos plebis) *a republica*, quae ita explices: ira principis, quamvis saepe lacessitus esset, tamen in hoc excessit ut cet., *nahm dennoch den*

*) B ernaysius ap. Haas. *coruscans.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ausgang, *endete damit*, *dass* cet. Primum enim constat *tamen* particulam saepissime participiis praemitti, quae concessivam continent sententiam, v. Liv. V 42, 7. Cic. Sest. 67, 140. Plura dabunt Matthiaeus ad Cic. Cat. III 5, 10 et Fabrius ad Liv. XXI 5, 10. Deinde *excedendi* verbum ita accipio, ut finem s. exitum significet, quem aliqua res habeat, unde augendi vim inesse non posse sequitur: aliam enim rationem habet transitivum '*excedere* modum, fidem', aliam compositum *procedere*. Quare non erat, quod Kritzius scriberet *tantum* pro *tamen*, ut qui servata particula *tamen*, quam iure tuetur Haasius, hoc significari putaret, Caesaris iram supra modum et exspectationem erupisse, quod sane esset ineptum.

II 69, 2 '*C. Cassius . . inclusum Dolabellam . . Laodiciae expugnata ea urbe (ita tamen, ut ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem daret) et decem legiones in eo tractu sui iuris fecerat*'. Descripsi hunc locum, quo modo facillime eum sanari posse puto. Eiecto enim verbo *fecerat*, quod librarius ad sequentia spectans bis errore posuit et perverse quidem ante illam parenthesin, optime procedet oratio, cum casus quartus *inclusum Dolabellam* ex verbis *sui iuris fecerat* pendeat. Priori loco a Rhenano correctum *interfecerat* receperunt Kritzius et Haasius; sed id ipsum propter subiecta verba ferri vix poterit, nam quis hoc ferat: Cassius Dolabellam interfecerat, ita tamen, ut is cervices daret servo suo? Quanto melius auctor perioch. Livi CXXI 'C. Cassius Dolabellam in urbe Laodicia obsessum mori coegit'.

II 70, 5 (4) M. Brutus exspiravit *impellens se in volnus* i. e. in gladium, quo se volneraret, poetarum more. Sic Vergil. Aen. X 140 'volnera dirigere' i. e. tela, quibus volnera fiant. Cf. ib. II 529. Proprie Sil. It. VIIII 382 'impellere ferrum capulo'. Plutarchus Brut. 52 extr. *τὸ ξίφος γυμνὸν ἐπὶ τῆς λαβῆς ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις ἐφείσας καὶ περιπεσὼν ἐτελεύτησεν.*

II 72, 1 de M. Bruto: *corrupto animo eius in diem, quae illi omnis virtutes unius temeritate facti abstulit.* Sic ed. pr. et Amerb. Kritzius et Haasius cum Tollio *incorrupto* ediderunt. Ad quae Kritzius 'nam si una illa dies, qua Caesarem interfecit, omnes eius virtutes abstulit animumque corrupit, necesse est ad hanc usque diem *incorrupto* eum animo fuisse'. Recte, si *in* praepositio illud temporis momentum indicat, ad quod quid durasse dicimus: sed quid impedit, quominus finem ipsum i. e. diem significari putemus, cui corruptio animi tamquam fato s. fortuna destinata

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuerit*), cum animus prius fuisset incorruptus, ut si vertas *nachdem sein Herz für den Tag dem Verderben preisgegeben* s. *bethört worden war, welcher* cet. Illum praepositionis usum vix est ut exemplis illustrem. Nota sunt illa Plauti Stich. III 1, 13 (516) 'nam ille heri me iam vocaverat in hunc diem' et Livi III 35, 1 'comitia in trinum nundinum indicta sunt'. His perpensis illud *corrupto animo* iudicaverim vel maxime incorruptum.

II 75 extr. *uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare* interpunxerunt Kritzius et Haasius; melius *quo facilius occultaretur, fuga pervenit ad m.* Nota sunt Livi 'fuga petere Tibur', Graecorum *φυγῇ ἀναχωρεῖν* et similia.

II 78, 1 'quas (provincias) magnis *momentis* Labienus concusserat'. Praefert Kritzius cum Haasio Ruhnkenii coniecturam *molimentis*, quod *momentis concutere* provinciam dici nequeat, nam momentum modo id significare, quod pondere suo rem quietam impellat atque moveat, nunquam vero motum ipsum. Idem nos docet Gesneri thesaurus. At momentum etiam id dici, quod mutationem atque discrimen rerum faciat, vel uno Caesaris loco b. c. III 68 probatur 'fortuna (belli) parvis momentis magnas rerum commutationes efficit'. Sunt igitur magna illa momenta *entscheidende Schläge, Erfolge.*

II 79, 5 *sed ancipitis fortuna temporis matura virtute correcta.* Hanc ed. pr. et Am. scripturam mutarunt Kritzius et Haasius cum Ruhnkenio scribentes *mature* i. e. brevi tempore, quod verborum exigeret sententia. Idem elegantius expressum esse contenderim volgata lectione, nam *matura* non solum ea dicuntur, quae iusto et suo tempore fiunt, sed etiam quae cito, *virtus* autem, ut multa eius modi vocabula abstracta concreto sensu, ut barbare non cum barbaris sed cum philosophis et grammaticis loquar, usurpantur, ad id transfertur, quod strenue quis aggreditur, ad facinus forte, quasi dicas: *durch raschen Muth* i. e. *durch rasche muthige That.*

II 81, 2 aqua Julia appellatur *salubritatis instar*, pro quo novissimi editores cum Cludio substituerunt *instrumentum.* Sed cum vocabulo *instar* non solum similitudinis, verum etiam praestantiae notio interdum subiecta sit, egregie aqua illa tamquam veram ac vivam salubritatis imaginem expressisse dicitur. Dio Cass. XLVIIII, 14 *τὸ ὕδωρ Ἰούλιον ὠνομασμένον, ἐφ᾽ ᾧ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται.*

*) Diligenter attendas ea, quae ante dicta sunt, talem exitum Bruti eiusque partium esse fortunam voluisse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II 86, 2 Octaviani clementiam in victos praedicans Velleius haec habet: 'nec quisquam interemptus est, *paucissimi et hi*, qui deprecari quidem pro se non sustinerent'. Poteris haec suppleta copula verbi explicare: *paucissimi et hi fuere*, sed displicet et *quidem* particula et ipsa sententia, quam fere talem exspectes: paucissimi et hi fuere, qui cum salutem suam deprecari nollent, (non supplicio, sed) exilio aliave poena punirentur. Verbo *deprecandi* absolute posito utuntur Cicero p. Marc. 5, 14 et Livius XXXIII 8, 2. XXXV 31, 14. Kritzius cum Kreyssigio et Halmio *paucissimi eiecti*, Haasius cum ed. Basil. *nisi paucissimi et hi*. Mihi in mentem venit *parci iussum et his* coll. c. 87, 2.

II 88, 2 C. Maecenas vixisse narratur contentus *angusti clavi pene*, ut scriptum exhibet ed. pr. et Amerb., nisi quod hic teste Fechtero *augusti*. Extremum illius loci vocabulum, quod depravatum esse nemo est quin videat, certatim emendare conati sunt viri docti, quorum inventa in uno conspectu ponere placet, ut hoc saltem exemplo ostendam, quantopere quove successu in removendis vitiis adhuc elaboratum sit. Ferrarius igitur *honore* substituit, Grunerus *nomine*, ed. Bip. *persona*, Schefferus *gestamine*, Laurentius *purpura*, Silligius *praemio*, Bothius *pede*, Heinsius *fine*, quod receperunt Orellius et Haasius, ed. Bas. *angusto clavo paene*, Lipsius *angusto clavo bene* vel *plane*, Rubenius *angusticlavia paenula*, Kritzius, cuius sedulitati satis longum illum indicem debemus, *angusti clavi insigni*, C. G. Zumptius *optione* vel *specie* (v. Annal. crit. Berol. a. 1841 n. 45 p. 359 sq.), Hertzius *pace* (cum Maecenatem otio et vitae tranquillitati vel maxime indulsisse constet coll. Tac. ab exc. d. Aug. XIIII 63, v. Philol. I a. 1846 p. 391 sq.), denique Schneidewinus *perenne* in adnotatiuncula ibid. adspersa. Nonnulla haud absurde ita scribi potuisse facile concedes, ut data optione quid potissimum eligas incertus sis, sed pleraque a litterarum apicibus ultra modum aberrant. Diu est, cum mihi in mentem venit *panno*, quod et rei et sententiae, cum Maecenatis continentia egregie quasi depingatur, adcommodatissimum est. Ceterum ex eo, quod Maecenas h. l. Velleio urbis custodiis praepositus dicitur, quas eidem Octavianus iam bello Siculo tradiderat, falso nonnulli suspicantur, Maecenatem tum temporis (a. u. c. 723 = 31 a. Ch.) publico praefecti s. custodis urbis munere functum esse, quod ipsum munus multis demum annis post Augustum imperatorem in pristinam dignitatem ac splendorem restituisse veteres historici produnt, v. Fischeri Tab. chronol. p. 357 sq. 368 coll. Langii Antiq. Rom. I p. 328.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II 95, 1 'Reversum Neronem Caesar belli *molem* experiri statuit' recte ed. pr. et Amerb. (nisi quod is errore *morem*). Caes. b. G. II 16 'experiri belli fortunam', Tacit. hist. IIII, 20 'exp. fortunam proelii'. Kritzius et Haasius cum Heinsio *mole*.

II 98, 1 verba si quid video integerrima *atrox in Thacia bellum ortum omnibus eius gentis nationibus in arma accensis* Holtzmannus in Pfeiferi German. VIIII 1 (a. 1864) p. 12, quod Velleio inverso ordine *omnibus eius nationis gentibus* scribendum fuisset corrupta esse ratus confidentius quam consideratius restituit *omnibus eius tractus nationibus*, simulque quo inventum suum commendaret, similem attulit locum c. 110 § 5. Sed praeterquam quod eo ipso loco nihil proficitur, vir doctissimus eius discriminis, quo gens plures complecti solet nationes, prorsus videtur fuisse immemor. v. Doederlini Synon. V p. 96 sq.

II 99, 2(1) 'cum Caesar sumpsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset *viris*'. Extremam vocem, cuius in locum Kritzius et Haasius cum ed. Bipont. *viribus*, alii alia substituerunt, Velleium, qui modo virilem togam memorasset, simul variandae orationis gratia pro ipsa virili toga posuisse probabile est.

II 103, 5 (3) ubi sermo agitur de Ti. Claudio Nerone ab Augusto adoptato, *tentemus id unum dixisse, quam ille omnibus fuerit.* Sic corrupte ed pr. et Amerb. Kritzius cum Burmanno et Rosenheynio: *contenti simus dixisse, quanti ille omnibus fuerit* edidit, Haasius *tentemus* verbo antecedentibus adiuncto *id unum dixisse* [*satis est*] *quam ille omnia omnibus fuerit,* in quibus *sat est* iam coniecerat Laurentius, *omnia* addiderat Heinsius. Ludov. de Jan in Philol. a. 1848 III p. 340 distingui vult *tentemus id unum, dixisse* (ut infinitivus explicationis gratia ad *id unum* adpositus sit), deinde vero scribi *quam ille ominosus* (sc. dies) *fuerit,* Zumptius in Annal. crit. Berol. a. 1841 p. 359 coni. *quantum ille omen omnibus fuerit,* Bernaysius ap. Haas. *quali ille omine omnibus fuerit.* In posterioribus his verbis, ut priorem eorum partem in medio relinquam, Bothius videtur mihi rem acu tetigisse scribendo *quanti ille omnibus fuerit.* Horatius Sat. I 1, 62 'quia tanti, quantum habeas, sis', coll. Corn. Nep. Dat. 5, 2 'qui illum unum pluris quam se omnes fieri videbant'.

II 105, 3 *paene exstructas hieme Alpes* nihil erat cur editores tantum non omnes mutarent cum ed. Bas. in *obstructas*, nam dicebant veteres

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

'exstruere focum lignis' eiusdemque generis alia, et in illo nexu insolentia verbi *exstruendi* si qua est, mitigatur addito *paene*. Idem igitur voluit Velleius quod Livius XXI 32, 7 cum diceret 'visa montium (scil. Alpium) altitudo nivesque caelo prope immixtae'.

II 114, 2 *cuius* (lecticae) *cum alii tum ego sensi* ed. pr. et Amerb. Lipsius vocem *usum* post *cuius* supplevit, quae recepta est ab omnibus editoribus. Equidem *commodum* excidisse puto, quod omiserit librarius ad proximum vocabulum *cum* festinantius progrediens. Simili ratione excidit *comes* post *cum* c. 76, 1. Ibid. *uni portatum* Amerbachi praefero propter oppositum '*nullius non* valetudini'. Ib. 5, 3 *admonitio frequens inerat et castigatio* cum ed. pr. et Am. retinendum, quoniam ita postulat totius orationis concinnitas, qua cetera omnia ab ipso Tiberio profecta esse dicuntur: *vectus est. . . coenavit . . ignovit*, deinde mutata structura *admonitio frequens inerat* (scil. *ei*) . . *agebatque*'. Vertas: *Vorstellungen und Tadel kamen bei ihm oft vor*. Verbi *inesse* absolute positi, ita tamen ut facile intellegatur pronomen, multa collegit exempla Boetticherus in Lex. Tacit. p. 259. Kritzius et Haasius cum alio viro docto *interdum*. Ib. § 4 *hiems emolumentum patrati belli contulit* i. e. adiumento fuit, adiumentum attulit ad emolumentum patrati belli, quibus bene respondent, quae sequuntur, insequenti aestate *omnem* demum Ponnoniam pacem petisse. Quod Kritzius accepta Friebelii coniectura *non tulit* monet, hieme semper ab armis cessatum esse, refutatur ipsis Vellei verbis c. 105, 3 'anni eius aestiva usque in mensem Decembrem producta immanis emolumentum fecere victoriae'. Ib. § 4 in ed. pr. et Amerb. corrupte 'Batonemque et Pinnetem . . *captum alterum a se deditum* iustis voluminibus ordine narrabimus'. Rhenanus correxit *captum alterum, alterum a se deditum*, receperunt Orellius et Haasius, in quibus illud *a se deditum* bene ad rerum narrationem, nam Bato teste Dione LVI, 16 Tiberio sponte se obtulit, pessime ad rationem grammaticam. Equidem verba sic scribenda et orationi interponenda esse duco *(captum unum, alterum esse deditum)*.

II 115, 3 (2) M. Lepidus *ornamentis triumphalibus . . . voluntate senatus est*. Excidisse vocabulum aliquod nemo non videt. Supplevit Rhenanus *donatus est*, Herelius *honoratus*, equidem malim *ornatus*, quod librarius antecedentis vocis *ornamentis* male memor omisit. Sic supra § 1 'donorum, quibus triumphans Caesar eum donavit' Amerb. a pr. m., quod iure tuitus est Haasius, et 24, 3 'honoribus honoratus'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II 118, 4 de Quintilio Varo a Segeste frustra monito fatisque occaecato quae more suo argumentans Velleius addit, editionis principis et Amerb. mutatione facta quam fieri poterit lenissima sic scribenda: 'quippe ita se res habet, ut plerumque *qui* fortunam *mutaturust* deus consilia corrumpat efficiatque quod miserrimum est, ut quod *accidit* etiam merito accidisse videatur'. Pronomen *qui* in vincula coniecit Haasius, quibus scribendo *mutaturus est* liberavi, in *cui*, quod esse volunt indefinitum, cum Vossio mutavit Kritzius, *accidit* autem restitui ex ed. pr., cum in Bureri et Amerbachi scriptura *accidit et* nihil habeamus nisi male geminatam partem priorem proximae particulae *etiam*, quare neque cum Haasio scripserim *acciderit*, neque cum Kritzio *accidit ei*. Deinde quae de eodem Varo leguntur, 'negat itaque se credere *spemque in se benevolentiae* ex merito aestimare profitetur', ita explices: spemque benevolentiae Germanorum in se ex merito suo aestimare, i. e. profitetur se sperare, Germanos ex eo, quod optime meritus sit de ipsis, sibi futuros esse benevolos, *die Hoffnung auf das Wohlwollen der Germanen bemesse er nach seinen Verdiensten um sie* s. *seine Verdienste um die Germanen liessen ihn auf ihr Wohlwollen rechnen.* Haec, nisi omnia me fallunt, elegantissime scripta sunt, quamquam aliter visum est Kritzio, qui ea commodo sensu prorsus destitui ratus Burmanni coniecturam *speciemque* recepit et exposuit: 'pro merito suo in Germanos et Arminium non dubitare se, quin benevolentia, quam illi sibi ostendant (nam hoc significat *species benevolentiae*), vera neque simulata sit'.

II 120, 6 (121, 2) ex iis quae perverse scripta sunt in ed. pr. et ab Amerb. *arma interfecti quae arguisse pater* cet., ut ceterorum inventa praetermittam, Lipsius effinxit *arma infert quae arcuisse* eique obsecuti sunt Kritzius et Haasius. Commendantur haec ita mutata quodam modo duobus Livi locis III 8, 3 'ut non modo arcere bellum, sed ultro etiam inferre posset' et XXI 44, 2 'maior est animus inferentis vim quam arcentis'; sed non minus apte, ubi literarum vestigia presseris, inde erues hoc *arma in terram fert, in quam arguisse*, nam *in terram* optime et cum iis convenit quae ante memorata sunt, Tiberium Rhenum cum exercitu transgressum esse, et cum iis quae sequuntur, eum penetrasse interius. Accedit quod illud arguisse, i. e. verbis exagitasse, apte opponitur ipsi facto, occupationi terrae. Quoquo autem modo illa ab auctore scripta fuisse censes, Velleius n iis nimium Tiberi laudibus indulsisse dubitari nequit, cum Rhenum quidem eum transisse, sed hostibus obviam non factis veritum ne altera plaga rei Romanae infligeretur re infecta unde digressus esset se recepisse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

locupletissimus auctor sit Dio. Copiosius haec exposuit Jos. Stanger in utilissima commentatione de Vellei Pat. fide (Monach. 1863) p. 18 sq.*)

II 126, 2 'sepultaeque ac situ *oppositae* iustitia aequitas industria civitati redditae'. Ed. Basil. correxit *obsitae*, quod omnes deinceps editores receperunt, alius vir doctus nescio quis *obsopitae* coll. Verg. Aen. VII, 440. Stal. Silv. III, 3 Sen. Oed. 818. Propius ad librorum ductus accedit *obsoletae*, quod de rebus vetustate confectis et inquinatis usurpari constat. Cic. p. Sest. 28, 60 'virtus . . neque alienis unquam sordibus obsolescit'. — In eiusdem commatis verbis 'recte faciendi omnibus aut *incussa voluntas* aut imposita necessitas' priora illa multis fuerunt offensioni, quamquam voluntas incuti recte dicitur, quatenus animum nostrum subito ac vehementer afficiat. Doederlinus coni. *inconcussa*, quo concesso oppositorum vis ac ratio tollitur.

II 129, 1 in laude Flacci Pomponi verba *simplicique merentis semper quam captantis gloriam* admodum sollicitaverunt interpretes, ex quibus Cludius pro particula *quam* substituit *non*, Orellius *nunquam*. Orellium secuti sunt Kritzius et Haasius. Nihil prorsus mutandum esse persuasum habeo, cum a Livio et Sallustio interdum, saepius inde a Tacito *potius* vel *magis* in eius modi enunciatis omissum esse nemo nesciat, vid. Walchi Emendat. Liv. p. 51, Kritz. ad Sall. Cat. 56, 2, Boetticheri Lex. Tacit. p. 39. Madvig. Gr. lat. § 308 adn.**) Nec verum esse, quod Kritzius addidit, cum adverbio *semper* id conciliari non posse, testem habeo Plautum Rud. IV 7, 40 (1014 Fleckeis. cf. Vechneri Hellenol. p. 138.). 'Eo tacent, quia tacitast [melior] mulier semper quam loquens'. Quodsi igitur dicit Velleius, Flaccum Pomponium simplici virtute semper meruisse potius quam captasse gloriam, in ea sententia nihil est quod desideretur, ne antithesis quidem illa, quam flagitat Kritzius.

---

*) Sed studiosissimum patronum Velleius noster nactus est Adolphum Stahrium in vita Tiberi (Berol. 1863), quem graviter castigavit Campius (Ephem. rei schol. Berol. 1864 XVIII p. 809) Velleium infimae assentationis et caninae adulationis incusans.

**) Omissi *μᾶλλον* rationem fusius exposuit Nitzschius ad Plat. Jon. p. 70 sqq., brevius Bernhardyus Synt. Gr. p. 437.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf